UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni Bredenbachij S. Th. D.||

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

21. Quomodo propter cessation[em] consuetæ eleemosynæ vniuersum monasterij triticum corruptum, & in mare proiectum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-65002

Visual Library

bus ipſa tibi ſexduplicata reſtituit? Agnoſce igitur, quia non eſt Deus alius, neque in terra, neque in cælo, niſi ipſe ſolus. Ille verò miraculo admonitus, cùm experimento didiciſſet & ipſe veritatem, effectus eſt repentè Chriſtianus. Glorificauit Deum, & ſaluatorem noſtrũ Chriſtum cum Patre, & Spiritu ſancto, plurimas referens gratias prudentiſſimæ vxori ſuę, per quam vera Dei notitia ipſi in veritate conceſſa eſt.

Ioannes Moſcus Euiratus in Prato ſpirituali cap. 89.

propter ceſſationem conſuetæ eleemoſynæ vniuerſum monaſterij triticum corruptum, & in mare proiectum eſt.

CAP. XXI.

IN monaſterio Abbatis Theodoſij in ſcopulo, inter Seleuciam & Roſum Ciliciæ conſuetudo fuit, vt in cœna Domini pauperes omnes, & pupilli regionis huius confluerent huc, & acciperent medium tritici ſextarium, benedictiones tredecim, & ſextarium vini, mediumq́ue ſextarium mellis pro quolibet. Ante hoc autem triennium, magna tritici ſterilitas fuit, vendebaturque triticum in regione hac, ſextarij xij. vno numiſmate. Cùm ergò veniſſent ieiunij dies, dicunt Abbati noſtro quidam ex patribus: Noli domine pater, ſecundum conſuetudinem dare pauperibus triticum, ne deſit monaſterio. Triticum enim non inuenitur. Abbas autem cœpit dicere fra-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tribus: Non infringamus filij, benedictionem patris noſtri Theodoſij. Videte, mandatum ſenis eſt, non expedit nobis illud tranſgredi. Verè ipſe eſt, qui curam noſtri gerit. Fratres autem perſteterunt in ſua ſententia, dicentes Abbati: Non ſuppetit nobis, quod dare poſſimus. Tunc Abbas contriſtatus ait illis: Ite, & ſecundum, quod vultis, facite. Non itaque, vt conſuetum erat, dederunt benedictionem in die ſancto cœnę & Paraſceues. Profectus poſtmodum, qui præerat horreis, aperuit oſtia & reperit triticum totum germinaſſe. Quod coacti poſtea ſumus illud in mare proijcere. Tunc cœpit Abbas noſter dicere fratribus: Qui patres noſtri monita irrita facit, iſta patitur. Labores nunc inobedientiæ metimus. Quingentos modios daturi eramus, & patri noſtro Theodoſio per obedientiam placuiſſemus, fratresque noſtros pauperes conſolati fuiſſemus, nunc verò quinque ferè millia modiorum tritici perdidimus. Quid lucrati ſumus, filij? Quantum nobis ipſis nocuimus? Duo profectò mala egimus. Vnum, quia mandatum patris noſtri præteriuimus; alterum, quia ſpem in Deum non habuimus, ſed in horreo noſtro. Vel ex hoc diſcamus, fratres, quia Deus eſt, qui diſponit omne humanum genus, quodque ſanctus Theodoſius inuiſibiliter pro nobis filijs ſuis curam ſollicitè gerit.

Ioan.

Ioannes Moſcus cap. 175. Prati ſpiritualis. Glycas parte 4. Annalium. De Zenone Imperatore viro eleemoſynario.

CAP. XXII.

NArrauit nobis quidam patrum de Zenone Imperatore, dicens, quod mulierem quendam in filia ipſius iniurioſè tractauerit. Hæc autem vacabat in templo dominę noſtrę Dei genitricis, orans eam, & deprecans, & cum lachrymis dicens: Vindica me de Zenone Imperatore. Cùm ergò multis diebus hoc faceret, apparuit ei ſancta Dei genitrix, dicens: Crede mihi mulier, vltionem tuam ſæpè facere volui, ſed manus eius prohibet me. Erat enim valde miſericors, & eleemoſynas faciens.

Ioannes Moſcus cap. 201. Prati ſpiritualis. De quodam viro Conſtantinopolitano nobiliſſimo, cui pater moriens, Dominum Ieſum Chriſtum reliquit curatorem, facultatibus ſuis penè omnibus, filio conſentiente, in pauperes erogatis.

CAP. XXIII.

NArrauit quidam patrum dicens: Adſcendi aliquando Conſtantinopolim cuiuſdam neceſſitatis gratia. Cumque in Eccleſia ſederem, ingreſſus eſt quidam ſecularis, maximè illuſtris, atque fideliſſimus. Is cùm adſpexiſſet me, accedens ſalutauit cum omni charitatis officio. Et poſt ſalutationem ſedit iuxta me, & cœpit interrogare de his, quæ pertine-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN